

ILLVSTRISSIMO  
DOMINO  
NONNIO  
SYLVIO TELLESIO.  
VIRO CLARITUDINIS TER, ET QUATER  
Eximiæ, in causis fidei Judici integerrimo,  
Sacrorum Canonum Præceptorí meo  
Dignissimo, &c.



Ccipe, quæso, Sacrum, Mæcenas inclite, ramum  
Dulce decus nostrum, præsidiumque meum.  
Funo, Venus, Pallas quondam subiere venustæ  
Certamen formæ, vicit at ipsa Venus;  
Namque venusta magis certè fuit; indeque pomum  
Obtinuit superans pulchrior ipsa Deas:  
  
Si tu cum reliquis sapiens certamen adires,  
Ipse foret ramus non sine jure tuus;  
Bartolus haud audens valde obmutesceret ingens;  
Atque polo cedens iret Apollo polum;  
Ac Senecæ vox nulla foret, nimiumque taceret;  
Et verbum haud ullum diceret ipse Cato:  
Bartolus ipse viges, dum jura obscura resolvis,  
Carminibus felix alter Apollo viges;  
Ipse repræsentas Senecam, insignemque Catonem,  
Judicijs Seneca es, consilijsque Cato.  
Divisæ varios exornant denique dotes;  
Unanimes omnes attamen ipse capis,

A

Idicir-

Idcirco tu maior ades, præcedis & omnes,

Nam simul ipsorum mentis acumen habes:

Bartolus ipse fuit talis; non alter Apollo:

Talis Apollo fuit; Bartolus at minimè:

Mens Senecæ famosa fuit; non illa Catonis:

Altà Catonis erat; non fuit hic Seneca:

Tu Seneca, atque Cato es, tu Bartolus, alter Apollo;

Quemcumque exæquas, exuperasque simut:

Sylva velut stores, NONNI clarissime SYLVI;

Sylva est versicolor, multaque, docte, sapis.

Victor iocante tu ramum, augustissime SYLVI;

Hanc equidem sylvam ramus honestus amat.

Obtinuit ramum Aeneas fortissimus olim,

Cum celer in campos pergeret elysios:

O SYLVI AENEA, Aeneæ clarissima proles,

Hunc capias; Cathedras namque subire volas:

Parce mihi, Princeps, munuscula parva voventi,

Namque animus noster magna vovére cupit.

Servus tuns obsequentiissimus, discipulusque

amantissimus

Guilielmus é Sa Salazar.

Guilielmus é Sa Salazar.

# IN LAUDEM TANTI HEROIS

mea musa hæc carmina modulatur.

Zonni, gaudeto plaus V : tua perficit orbe M.  
Sylvi, sylva ; tib I flectitur omne gen < A.  
Omnia sylva capit ; ve Rū haud sunt ōnia sylv A  
— llustri , o Tel L es; plurima nāq tib — X  
Zobilibus ramis syl V a hæc tua, maxime, feli X  
— ñatatur , Princep S, pullulat atq vigo R.  
Zomine fama tuo egregio vulgata stupor I  
— trinque est gen Ti; floret vtrinq pol O.  
Inde tenet Villam v A lde tua sylva decora M;  
— n Villarmaior N omē, & altus hono R:  
— nus es in cunctis her Os clari ssi me : cant V  
— nde genus refe Ro! vox abit ipsamet < V.  
Sylvi, gaudeto plaus V : tu lucida proles S  
sydereum multū M diligis ire polu M.

## Ad Lectorem.

Hæc mea, si videas, non immemor adspice lector  
Carmina, quæ noscis tempore scripta brevi:  
Pauca emendavi; quæ audisti, cuncta patescunt,  
Atque levi calamo quæque polita manent:  
Non auxi, imminui potius, repetita lepore  
Namque carent, quamvis sæpe placere queant.  
Invenies equidem quæcumque superflua, verum  
Ipsa superfluitas tunc mihi grata fuit:  
Carmina notescunt etiam repetita legenti,  
Mens vero, ut caperet, sic repetita dedit:  
Tempore tunc celeri mea musa timore cadebat;  
Si timor haud esset, musa benigna foret.

# IN NOME DOMINI

Xplananda venit celebris decisio Summi  
Præfulis; hunc equidem Sedes Romana scientē  
Novit ALEXANDRUM, qui nomine tertius olim;  
Aut aliter potius primus, non tertius ipse:  
Hæc capite in toto (*Cum nuncius*) ipsa refulget;  
Hoc famosus habet titulus *de testibus* ille.

## *Ad Trinum Numen exclamatio.*

Sed prius imploro supremum Numinis alti-

Præsidium, certè quod regit omne potens:

Protegat omnipotens; sapiens mihi lumina præstet,  
In simul ad sit amans altus amo re Deus.

## *Deinde ad Sacrasandam VIRGINEM.*

Et tuus assistat favor, ó Sanctissima Virgo,

Alma Dei Genitrix, summe Planeta poli.

Nec mora: luciferos immite benigna nitores

Obtuse menti, Luna serena, meæ.

Maxima luna nites, & es vna, atque vnicæ; lucces

Sydercas inter lunaque, & vna micas:

Incoluit sylvas quondam præclara Diana,

Incole nunc nostrum vera Diana nemus:

Vera Diana micas, Christi Sanctissima Mater;

Sorte Dei es Genitrix; Annaque sorte tua est.)

Anna tibi Genitrix; Genitrix tu vera Diana;

Anne sic precibus, Virgo Virago, meis.

## *Ex inde ad Sanctum Guilielmum.*

Subveni, quæso, Guilielme Sancte;

Adjuva præsto; mihi forte telum

Præbeas contra fera tela, nostri

Nominis Atlas.

## *Postinde ad Discipulum dilectum.*

Inde, quem magnum celebrant per orbem

Sanctitas, virtus; aquilina cuius

Mentis est ingens acies, favcto  
Sancte Joannes.

*Nunc ad Rectorem.*

Exinde Rector claræ Academæ

Alti superbo stemmate sanguinis

Præclarus, ad celos honores

Progenitus mihi sis secundus.

*Deinde ad Præsidem.*

Nec non loquendi Præses amabilis,

Quem fama velox laudibus evehit

Usque astra Supremum Magistrum,

Nunc veniam facias benignus.

*Inde ad Doctores.*

Juris periti, queis sapientia

Præclara fulget, Juris & intima

Arcana, Doctores, patescunt;

Jam pariter faciat is ipsam.

*Perinde ad Hospites.*

Nec non nunc mihi, candidi,

Facultas gracilis vestra sit, hospites:

Vobis eximus decor

Splendet, qui superat lucida sydera.

*Denique ad Concionem.*

Tandem fac veniam mihi;

In qua mirifico lumine literæ

Lucent, sol veluti micat

Ardescens radijs, florida Concio!

Explananda, inquam, celebris decisio Summi

Præfulis; hunc equidem Sedes Romana scientem

Novit ALEXANDRUM, qui nomine tertius olim;

Aut aliter potius primus, non tertius ipse;

Hæc capite in toto (*Cum nuncius*) ipsa refulget:]

Hoc famosus habet titulus *de testibus ille.*

Ex ipso præclara patet conclusio textu:  
Clericus in causa, moveat si Ecclesia quamvis,  
Testis adesse potest: certe jurare valebit.

Atque meas gracilis jam murmure sylva sonoro  
Personat ante aures; aures præbete benignas:  
Personat, atque sonant, resonantque arbusta sereno  
Æthere, sydereumque polum cum vertice tangunt.  
Hic equidem præstans Robur cum robore durat:  
Hinc magis, atque magis Pinus famosa superbit;  
Et Pinum superat nimis invidiosa Cupressus:  
Fraxinus expandens longissima brachia sylvam  
Exhibit umbrosam: nihil hac jucundius umbrâ:  
Exiliunt fontes, & floribus viridine præsens  
Egregijs hæc sylva viget, color unus, & alter  
Cernitur, & pulchro summa est huic gratia campo.

In campos iter elysios cum Troius Heros  
Diligeret, ramum avulsit; vere aureus ipse  
Fertur; in hoc equidem sapientia magna latebat.

Atque ego nunc etiam fausta mihi forte venustum  
Elegi ramum: potius veré aureus iste  
Dicitur, hoc etenim sapientia maxima fulget;  
Scilicet hoc factò lucet conclusio ramo;  
Addere jamque alios illi juvat arte colores.

In primis viridem ramo huic compono colorem;  
Est etenim proprius Canonum color ipse; decòros  
Pro viridi id circò Canones adjungo colore.

Hunc caput exornat sextum, valdeque venustat;  
Et caput inde Super magnum prætendit honorem,  
Atque caput *Nuper* faciem manifestat amicam,  
Inde caput *Venientis* fausto cum numine pendet,  
Atque *Tuis* caput arridet, delenit & aures,  
Quæ supradicto titulo monstrantur eodem.

Egregi-

Egregiumque caput *Cum causam* fulget in ipso,  
 Atque caput quintum certat componere ramum;  
 Agnosces titulum, queras si forte *probare*;  
 Et caput *Et si Christus* adest, præbetque favorem,  
 Quod de jurando titulus tibi *jure* docebit;  
*Insuper* in capite irradiat couclusio nostra;  
 Atque caput *Ratio nulla* elucescit in ipsa,  
 Quæ de præbendis quærenti pagina monstrat.  
*Præterea* in capite effulget conclusio tandem;  
 Et titulum ipsius certè *sponsalia* signant.

Purpureumque modò superest aptare colorem  
 Florenti ramo; civiles purpura leges  
 Semper adumbravit: Doctorum insigne superbum.

Perficit egregie ramum lex inde secunda,  
 Legeque clarescit, numero quæ tertia fertur,  
 Legeque notescit, quæ septima panditur, idem;  
 Lege micat decima pariter pulcherrimus ipse,  
 Quæ supra nostro titulo monstrantur eodem.

Ulterius leges plures de more referrem,  
 Difficile est verò scribi modulamine leges.

Artificumque dedit gravium pictura colores  
 Arte admiranda ramo, quos fama supremos  
 Consecrat ingenio; referamque, audite, per orbem.

Maximus ingenio titulo *de testibus* ipso  
 Exhibuit ramo gracilem Duarenus honorem.  
 In rationali ramum Vivianus adornat  
 Inclytus ad nostrum textum, præbetque colorem.  
 Collectaque suâ ad textum Augustinus cundem  
 Mirifico exornat ramum Barbosa colore.  
 Atque suis noviter commentis doctus cundem  
 Ad textum egregia Gonzales perficit arte.  
 Indeque commentis insignis Graña venustat

Ad textum, & calamo ramo huic adjecit honorem;  
Et plures, quos ipse sequens Barbosa recenset,  
Arte magistrali varios posuere colores.

Addidit ingenuam felix Academia nostra  
Huic operam immensi nimio sudore laboris:  
Unus pro cunctis doctissimus Azevèdo,  
Præceptorque meus quondam perfecit adunguem,  
Cum quintum de more suo caput ipse doceret;  
Agnoſces titulum, quæras si forte probare.

En modò tēpeſtas ſurgit: \* venit agmen aquarū\*; Virg. 1.  
\* Unā Eurusque, Notusq̄ ruunt, creberq̄ procellis Georg.  
Africus, \* & \* media nimborum in nocte coruſca\* Idem 1.  
Fulmina descendunt, validā quæ Jupiter altus Æneid.  
Molitur dextrā: jam jam \* ruit arduus æther; \* Idem 1.  
Et nemus omne tremit ventis, atq̄ imbribus atris Georg.  
Omne nemus plangit; crescent cava flumina, fossæ  
Implentur; \* fugere feræ, & mortalia corda Idem 1.  
Ergentes humilis stravit pavor: \* Africus ipſe Georg.  
Nunc magis, atq̄ magis crescit, jamq̄ impetus omnis  
Illiſ ad noſtrum ramum conſurgit, & asper  
Afficus in ſurgit primō: ſic Africus afflat.

Principium eſt certum, propria quod nullus in ipſa  
Teſtis erit cauſa, ac minime jurare valebit:  
Atqui hac in cauſā retinet iuſ Clericus ipſe;  
Namque *Tuis caput ostendit de teſtibus* iſtud:  
Ergo langueſcens conclusio corruit ipſa,  
Verbaque Pontificis nequeunt prædicta teneri.

Principium hoc certum decimaq̄ in lege docetur,  
Quæ ſupra noſtro titulo monſtratur eodem;  
Atqui principio tali conclusio languet:  
Ergo langueſcens conclusio corruit ipſa,  
Verbaque Pontificis nequeunt prædicta teneri.

Princi-

Principium hoc certum decimaque in lege refertur;  
Codice monstratur titulo *de testibus* ipso;  
Atqui principio perdit conclusio vires;  
Ergo languescens conclusio corruit ipsa,  
Verbaque Pontificis nequeunt prædicta teneri.

Principium tandem nonā hoc in lege notatur,  
Quæ supra nostro titulo monstratur eodem;  
Atqui principio resolutio languida sistit:  
Ergo languescens conclusio corruit ipsa,  
Verbaque Pontificis nequeunt prædicta teneri.

Nunc Notus assurgit, rabidusque per æthera fertur;  
Firmamenta movet, ciet omnia, nulla quiete  
Res fruitur; nemus omne gemit, nemus atq; tremiscit:  
Huc vehitur, trahiturque illuc, huc fertur, & illuc:

\* Stare loco nescit, \* Vellitque arbusta tremenda Idem 3.  
Georg.  
Vi rapiens, floresque ipsos castigat acerbus:  
\* Alba ligustra cadunt, vacinia nigra \* ruinis Idem  
Ecol. 2.  
Strata jacent miseris, \* lassoque papavera collo Idem 9.  
Excid.  
Demifere caput; \* confunditur æthere terra:  
Denique sic nostrum tendit convellere ramum.

Principium est certum, quod, nempe, domesticus ullus  
Testis adesse nequit, minimè & jurare valebit;  
Clericus in sacrâ atqui est æde domesticus ipse;  
Namque *super* caput affirmat *de testibus* illud;  
Ergo destruitur certo decisio jure;  
Pontificisque manet sententia debilis ergo.

Principium hoc certum *Super* in capite inde relucet;  
Quod supra nostro titulo monstratur eodem;  
Atqui principio conclusio claudicat ipso:  
Ergo destruitur certo decisio jure;  
Pontificisque manet sententia debilis ergo.

Principium capite in primo non delitet ipsum,

Quod supra nostro titulo monstratur eodem;  
Atqui principio tali conclusio cedit:  
Ergo destruitur certo decisio jure;  
Pontificisq manet Sententia debilis ergo.

Principium hoc certum *Testes* in lege liquefecit,  
Quæ supradicto titulo monstratur eodem;  
Atqui principium recipit conclusio tale;  
Ergo destruitur certo decisio jure,  
Pontificisque manet Sententia debilis ergo.

Eurus adest, furiosus adest; non Africus illum,  
Nec Notus excedit furijs, nemus omne pererrat;  
Hic avulsa rapit, correptaque corripit illic;  
Nec satis est rapuisse semel, rursusque per agrum  
Fervidus, iratus, nimiumque volubilis errat:

Qualiter in terras delabitur æthere fulmen  
Flamiferum, parit horrorem, \*populosq paventes\* Lukan.  
lib. 8.\*  
Exterret; jam cuncta petit, calor excitat iras:  
Ire iterum tentat, rursum tentare ruinas  
Impetit, atque facit strages, atque omnia sternit;  
Eurus adest, sic vimque suam ramo applicat omnem.

Principium est certum præclaro jure, quod omnes  
Cum juramento debent deponere testes;  
Clericus atqui omnis minimè jurare valebit;  
Ut caput *Etsi Christus* habet, docet atque; sub illo  
*Furando de jure* caput titulo inde videbis:  
Ergo non retinet conclusio nostra vigorem,  
Pontificisque cadit penitus decisio Summi.

Principium atque *Tuis* capite hoc exinde vigescit,  
Quod supra nostro titulo monstratur eodem;  
Atqui principio evanet resolutio nostra:  
Ergo non retinet conclusio nostra vigorem,  
Pontificisque cadit penitus decisio Summi.

Princi-

23

Principium hoc capite in quinto fulgescere constat,  
Quod supradicto titulo monstratur eodem;  
Atqui principio tali conclusio paret:  
Ergo non retinet conclusio nostra vigorem,  
Pontificisque cadit penitus decisio Summi.

Principium hoc *Jurisjurandi* in lege patescit;  
Codice monstratur titulo *de testibus* ipso;  
Atqui principio conclusio nostra laborat;  
Ergo non retinet conclusio nostra vigorem,  
Pontificisque cadit penitus decisio Summi.

Jam modò, jam rigidum venti posuere furorem:  
Æolus altiloqua proclamans voce furentes  
Edomuit ventos, cæcoque in carcere pressit;  
<sup>\* Horat. lib. I. Ode 4.</sup>\* Solvit acris hyemis vice veris; \* & undique *sylva*  
Jam tranquilla tacet nimium, jam sylva quiescit:  
Non arbusta sonant, nullus jam percutit aures  
Subtiles sonitus, semper post tempora venit  
Nubila clara dies, post bellum gloria semper  
Adfuit egregijs victoribus; undique flores  
Jam blandè bullire vides; nunc sylva susurrat  
Prædulci strepitū, & liquidum mox aëra præbet  
Sol novus exoriens; reddit placidum, atque serenum  
Jam nova temperies, celeres jamque æthere claro  
Expanduntur aves, geminis quæ plausibus omnes  
Accessum Phactontis amant, rostroque micantes  
Perficiunt alas, modulosque in gutture formant  
Certatim, & dulci certant modulamine vocum  
Demulcere aures, animos recreare, tenebras  
Pellere, quidquid erat planctus jam numine fausto  
Plausus adest luco: musarum magna caterva  
Nunc etiam nostro exultat nemore, atque choreas  
Jucundas pedibus plaudit, cantatque poësim;

Sæpeque perlustrant gaudentes undique sylvam  
Accintæpharetris musæ, de more gerentes  
Venantis cujusque; tamen non dira venenis  
Tela gerunt, non arma ferunt, nec ferrea ducunt  
Spicula, sed varijs impletæ floribus hujus  
Apparent sylvæ: nemori cui gratia tanta!  
Sylva nimis ridet; noster jam denique ramus  
Emicat illæsus, floret jucundus amæno  
Hoc nemore, adducitque viris hæc tanta stuporem  
Gratia; mirantur cuncti, mentesque vacillant  
Doctorum, atque super ramo diversa sequuntur  
Judicia; \* in certum studia in contraria vulgus  
Scinditur; \* atque aliqui tali discrimine gaudent  
Inter eum casum, testes quo scilicet vlli  
Non alij apparent, seu, quo ad jurare patescunt;  
Scilicet, ut primo casu decisio textus  
Procedat, teneantque locum argumenta secundo.

Hunc intellectum partem perpende secundum  
In nostro textu primam, nam clarus in ipso  
Apparet textu, recte discriminis ergo  
Procedit ratio, & mens hoc discrimine gaudens.

Inde penes partem caput *Et si Christus eandem*  
*Jurando de jure docet, declarat & ipsum:*  
Mens ergo radiat nimium discrimine tali;  
Scilicet, ut primo casu decisio textus  
Procedat, teneantque locum argumenta secundo.

Hic intellectus partem penes inde secundam  
Egregie ex nostro constat, tu perlege, textu:  
Est ergo verum, ac proprium discrimen, & ipse  
Est intellectus vetus discrimine lucens;

Atque caput *veniens* partem confirmat eandem,  
Quod supra nostro titulo monstratur codem:

Mens

Mens ergo tali discrimine certa videtur;  
Scilicet, ut primo casu decisio **textus**  
Procedat, teneantque locum argumenta secundo.

Hic intellectus minime placet, immò refutant  
Jura illum, atque modo tali convincitur ipse:  
Quando lex aliquid minimè distinguit, & ipsum  
Nec nos debemus distinguere; jura docebunt:  
Atqui prædicto textus discrimine noster  
Non viget, & loquitur verbis generalibus: ergo  
Est intellectus falsus prædictus, id ipsum  
Dum discrimen agit; caret hoc decisio namque.

Maiorem affirmat, magna comitante caterva,  
*De pretio* lex una nimis pretiosa; perornat  
Hanc legem titulus Digestis; *actio* nomen  
In rem *publicana* illi est: discrimine verūm  
Hoc tali gaudere nequit generalia verba  
Textus habens: ergo intellectus falsus habetur,  
Hoc discrimen amans: ergo nequit ipse teneri.

*Non distinguemus* maiorque in lege docetur,  
Continet hanc titulus Digestis *de que receptis*:  
Sed textus noster loquitur generaliter: ergo  
Accipe sub verbis textum generalibus, atque  
Mens ea notescit falso discrimine falsa.

Huc *Præses* lex inde venit *de Præsidis ingens*  
*Officio*; maior certe qua lege docetur;  
Nempe, quod haud vtens verbis specialibus ullis  
Debet lex sumi generaliter: indeque **textus**  
Concipitur noster lato sermone relatus:  
Ergo diffuso debet florescere sensu:  
Ergo intellectus dicto-discrimine falsus.

Lege nitet maior nimio fulgore secundā,  
Quæ *de judicijs* titulo manifesta videtur;

Hac etenim invenies, quod, quando lege resultant  
In sensu haud stricto generalia verba , sub ipso  
Lex sensu debet pulchra ratione doceri;  
Atqui textus habet noster latissima verba:  
Ergo perfusam debes componere mentem:  
Ergo praedicti claret discriminis error.

Legeque maiorem radios emittere cernes,  
*Præstandis de legatis* titulo adspice, primâ;  
Sed textus noster casum comprehendit vtrumque;  
Ergo intellectus valde est discriminis iniquum.

Maiorem *de ius* lex *Quamvis dicta vocando*  
Explicat; hac equidem constat, quod textus haberi  
Haud strictè debet, latè si forte loquatur;  
Sed textus noster casu generalis utroque est:  
Ergo intellectus perit hoc discriminis falsus.

Legeque *Si servum* maior praedicta probatur,  
*Quæ de acquirenda* titulo clarissima fertur;  
Atque ubi deduces, quod, cum contingat, **vt vllus**  
Sit latus sermo, debet lex lata teneri;  
Atqui Pontificis nostro generalia textu  
Verba micant: ergo textum generaliter ipsum  
Construe, & est intellectus discriminis durus;  
Scilicet, **vt primo** casu decisio textus  
Procedat, teneantque locum argumenta secundo.

Hocque modo convicta satis mens ipsa videtur;  
Attamen ulterius mentem sic jure refello:  
Quando eadem omnino ratio florescit, eodem  
Disposuisse modo jucundum est credere legem;  
Atqui eadem casu ratio florescit utroque:  
Ergo eadem pariter decisio permanet; atque  
Mens ea præfato discriminis displicet ergo;  
Nempe, quod in primo textus resolutio nostri

Consif-

Consistat casu, verum argumenta secundo.

Principium hoc primò clara ratione probabo:

Jure patet certum, ratio quod legis amica

Est anima, ac leges animat, viresque ministrat:

Cum ratio hoc in lege liquet; tituloque sub illo,

Quem *damnatorum* præbent bona, percipe legem;

Scilicet eniti legis ratione vigorem

Denotat, atque anima veluti virescere monstrat:

Ergo quando eadem ratio datur, insimul hæret

Juris idem certe præceptum, regula juris

Militat atque eadem; casus veruntamen unus,

Atque alius ratione pari hac in mente fruuntur:

Ergo uno, atque alio casu decisio textus

Irradiat, mens atque malo discrimine languet;

Nempe, quod in primo textus resolutio nostri

Consistat casu, verum argumenta secundo.

Principio ex ipso, quod saepe suprema voluntas,

Provenit, ad casum de casu extenditur uno;

Namque eadem ratio pariter reperitur utroque:

Mille juvat nunc ferre locos, & millia jura

Explanare modo; verum brevitate silesco:

Ergo ubi par ratio est, eadem præcepta resultant;

Atqui eadem mentis casu est æqualiter uno,

Atque alio ratio: est ergo decisio lata,

Atque intellectus discrimine pessimus ergo.

Principio exoritur nec non, contractibus, ipso,

Quod saepe ad casum de casu extensio quodam

Fit licet, ratio quoniam par lucet utroque;

Lex Tale accedit de pactis: lege videbis

Hac supra expressum vere contingere posse;

Atqui par ratio intellectus pullulat uno,

Atque alio casu: ergo est par decisio textus,

Indeque mens vitio discriminis ipsa laborat.

Provenit ex ipso, quod saepè latentia leges

Expressata vocant civiles: lege notatur

Nomine *Quæsum* titulo *de testibus* illo;

Nam ratio magnum retinet præclara valorem;

Atqui prædictæ menti est totaliter una,

Atque eadem ratio: est ergo decisio nota

Utroque in casu, & mens hoc discrimine nulla.

Hinc oritur, quod saepè magis, quam verba relata,

Perspicitur ratio; haec veluti Regina gubernat:

*Cum pater hoc de legatis in lege secundo*

Cernitur; atqui eadem ratio clarescit utrinque:

Ergo utroque micat paritet resolutio casu:

Ergo intellectus minimè hoc discrimine verus;

Nempe, quod in primo textus resolutio nostri

Consistat casu, verum argumenta secundo.

Principiumque satis rationum pondere certum

Bermanet, atque illud superest nunc jure probare.

Lex *Quidam rutilat de edendo*; comprobatur illa,

Quod, quando apparet ratio germana, perinde

Lex loquitur, casumque ipsum complectitur unam;

Sed casus duplex ratione nitescit eadem:

Ergo intelligitur dupli conclusio casu:

Ergo intellectus discrimine labitur ipso.

Pertinet huc *Illud lex dicta, patetque recenti*

*Codice de Sacrosanctis; qua lege peritus*

Legislator ait, quod, si fortasse vigescat

Uno eadem casu ratio, procedere legem

A simili dices; ratio atqui mentis in uno,

Atque alio casu minimè diversa liquefecit:

Ergo eadem est mentis dupli conclusio casu.

Hocque modo varijs agitatæ fluctibus errant

Docto-

Doctorum mentes, curis torquentur, & ingens  
In cursus quatit ingenia, & nunc credere curæ  
Non dubitant, modo jam curam depellere certant.

Qualiter Oceanus rapidus turgentibus vndis \*

\* Monstru horrendu, ingens, \* cōvelliatur vndiq vētis <sup>Idem 4.  
Enesc.</sup>  
Sedibus ex imis: pugnam exercere videntur  
Jamque vndis vndæ; reboat mare, & aspera strident  
Verbera verberibus: \* ferit aurea sydera clamor.\* <sup>Idem 2.  
Enesc.</sup>  
Æquore nulla quies; convoluitur ampulleſcens:  
Commiscentur aquæ; nimium ſpumofus arenas  
Innumeræ offert pontus; jamque vndique fervet  
Pontus grenofus; ſpumis volvuntur arenae;  
Atque iterum fluctus rixantur fluctibus; ingens  
Apparet chaos, & tumidi tolluntur in altum,  
Ut lapsu breviore ruant; iterumque ruentes  
Invadunt alios alij: concursus aquarum  
Hinc, atque hinc crescit: \* tristissima noctis imago\* <sup>Ovid.  
Tristiu  
lib. i.  
Eleg. 3.</sup>  
Incipit offuscare diem; pelagusque profundum  
Subrauco auditu strepitu; nec littora fluctus  
Invectos tolerare queunt: jam rupibus altis  
Franguntur fluctus, & fluctibus insimul ipsis  
Franguntur rupes: nihil est, niſi stridor, & horror!

Hactenus hic sylvæ ramus pulcherrimus acrem,  
Atque ferani rabiem ventorum pertulit; afflans  
Africus impulsu contendit sternere: præsto  
Irruit inde Notus furijs agitatus, & Eurus  
Agrediens sylvam ramum vi compulit ipsum.  
Hactenus & ramum quassavit fluctibus æquor  
Cæruleum ex tollens collum, valdèque tumescens.

Ast blanda nimium zephyrus modò ventilat aurâ:  
Leniter omne nemus currit, dulcique moratur  
Afflatu; non rumor adeſt; vix occupat aures:

*Virg.  
Eccl. 3.*

Arboribus tranquilla quies, vehementia flores  
Nulla movet, recreatque viros, animisque virorum  
Delicias affert: Zephyri velut aurca, quando  
\* Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis,\*  
Aura venit spectata nimis; nam maxima cunctis  
Lætitia est animis; gratissima gaudia præbet  
Corporibus, jam corda virum lætissima gaudent:  
Nec satis accepisse auram; juvat inde morari,  
Illecebrisque suis iterum perfundere gratis  
Corpora, quæ sicci veris calor ipse fatigat.

Prosperus ecce sonat; ramum circumdat utrinque  
Jam Zephyrus; venit en facie mens vera benigna;  
Intellectus adest verus, discrimine facto  
Inter cum casum, quo agitur de teste minutæ,  
Aut, plenæ fidei quo agitur de teste, perinde;  
Scilicet, ut primo casu decisio textus  
Procedat; teneantque locum argumenta secundo.

Atque hujus primam tardo cum examine partem  
Perspicias nostro textu; hoc pars ipsa probatur:  
Ergo intellectus tali discrimine verus.

Pars eadem capite in quinto notissima fertur;  
Atque dedit titulo perfecta *probatio nomen*:  
Mens ergo discrimin amat prædicta notatum;  
Scilicet, ut primo casu decisio textus  
Procedat, teneantque locum argumenta secundo.

Non latet in nostro textu pars illa secunda:  
Ergo intellectus valde hoc discrimine gaudet.

Atque caput *Quoties de testibus* autumat ipsam:  
Mens ergo nimium vero discrimine fulget;  
Nempe, quod in primo textus resolutio nostri  
Consistat casu, verum argumenta secundo.

Jamque juvat nimiūm sacrum decidere ramum;

*Tem-*

Tempus adest: fulvo\* frondescit virga metallo\*.  
 Non labor insanus, tempestatesque furentes  
 Exterrere animum potuere, nec impia pectus  
 Terruit asperies ventorum: non mare turgens  
 Edomuit stimulos animi tentare volentis;  
 Vestigare oculis placuit mihi semper apertis  
 Auricomum ramum, totidem tulit alta cupido,  
 Quot tulit Aeneas, cum quæreret ipse, labores.

*Idem  
Æneid. 6.*

Et decidendi ratio consistit in illo:  
 Quos jus non removet, testes jurare valebunt:  
 Ergo procedit recte conclusio nostra:

Hæc ratio apparet nostro clarissima textu:  
 Est decidendi ratio pulcherrima quaré,  
 Qua textus noster gaudet pulcherrimus ipse:

Lege nitet primâ titulo *de testibus* ipsa:  
 Hæc ergo ratio pulchra ratione nitescit;

Atquæ caput præbet *de testibus Insuper ipsum*:  
 Hæc ergo ratio debet præclara teneri.

Cernere jam superest teneant quæ fræna furorem,  
 Ventorum, & fræno sic Africus ipse tenetur:  
 Clericus in causa proprio non jure potitur,  
 Comoda non etenim primaria fungitur ipse:  
 Jus prædicta docet, verum brevis ipse silesco.

Inde Notus tali fræno sic ipse domatur:  
 Clericus in Sacra haud est jure domesticus æde,  
 Filius, & servus fertur solummodo talis:

Comprimiturque Eurus fræno sic denique tali:  
 Clericus in causa certe jurare valebit,  
 Namque caput *Nuper de testibus* edocet ipsum;  
 Claudiere sicque placet rivos,\* sat prata biberunt.

*Idem  
Æneid. 3.*

*Fuit explanata die 9. Maij hora 3.*

IN

IN LAUDEM PRÆDICTI HEROIS;  
qui subtiliter arguerat carminibus syllogizans, &  
me laude exornaverat, in certamine hæc carmina  
cecini, quæ recinere multum placet.

**S**ylvius incoluit lucos clarissimus olim;  
**SYLVIUS** & maior tu colis hocce nemus.  
Sylvius ac quondam Sylvas habitavit agrestes;  
**SYLVIUS** augustos sœpè revisis agros;  
Scire tuum est prædulce satis, simul utile; namque  
Carmina jure, simul carmine jura doces.  
Egregium Alcidem validas posuisse columnas  
Fertur; & has ultra nullus adivit Ovans:  
Inte equidem veluti præclara palæstra columnā  
Nicitur; hanc verè nulla columna præit:  
Laus tua laudantis, **NONNI** clarissime **SYLVI**;  
Discipulum laudans non sine laude manes.

CONIMBRICÆ, Superiorum Gratia:

Apud EMMANUELEM DIAS Universitatis Typographum,  
Anno Domini 1688.

Filiis, & filiis ferunt iomuandoz tenui:  
Quibusq; in cunctis vestigia pectusq; tenui:  
Atque in cunctis vestigia pectusq; tenui:  
Mensuræ cunctæ & vñstæ legiæ nre docce blvni:  
Cristhericæ tuncq; pectusq; tenui:  
Contra

IN